

licet baptizare non sit actus jurisdictionis erga baptizandum, cum nemo nondum baptizatus Ecclesiæ subjiciatur, est tamen actus habentis jurisdictionem in fideles quibus baptizandus aggregandus est. Ergo Parochus alienus, jurisdictionem illam usurpando, peccavit graviter. Sed paterfamilias etiam similiter peccavit peccato cooperationis, et peccato vindictæ et injuriæ in proprium Parochum.

202. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Non recte egit AMELINA, quia causa fuit cur puer bis baptizaretur. Minus enim malum est, quod infans baptizetur ab hæretico, quam eum rebaptizari. *Voit, n. 160.* — *Lugo, etc.* Attamen culpanda non esset mater, si diu expectandus esset Baptismus ministri cum periculo ne prius moreretur infans. Quid vero, si dubitaret an valide baptizandus esset a ministro hæretico? — *R.* Si infans mox ad illum esset deferendus, expectare deberet, et postea cum conditione illum rebaptizare. Si vero diu esset expectandum, statim modo absoluto eum baptizare posset, ut mox dictum est.

203. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Peccant graviter prolem deferentes ad ministrum hæreticum, ut baptizetur, quia hoc est tacite profiteri illum esse legitimum ministrum talis cæremoniæ; imo foret communicare cum eo in Sacris. Præterea minister hæreticus, sicut quilibet alius laicus, extra casum necessitatis baptizans, graviter peccat. Ergo is qui infantem baptizandum offert ei, peccat ejus peccato cooperando. Imo, nec licitum est parentibus filios deferre ad ministrum hæreticum, ut ab eo baptizentur, etiamsi lege principis hæretici urgerentur, quia hoc esset *vere communicare in Divinis*. Eruitur ex Epistola encyclica Pii VI, *Laudabilem*, missa ad omnes Episcopos Galliæ, die 26 Sept. 1791, in qua Pontifex prohibet ne fideles filios suos baptizandos sacerdotibus intrusis offerant, etiamsi filii secus non essent agnoscendi ut legitimi: *quamvis, ob legitimæ probationis defectum, suorum natalium jure carere, aut gravius quodlibet malum pati cogentur.*

204. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Affirm.*, quia non debet differri Baptismus donec proles ad Parochum matris afferri possit; et tunc Parochus loci fit proprius Parochus erga infantem baptizandum. Excipe, nisi forte pagus ille a pago proprio parum distet. *S. Lig. n. 114.*

## CASUS VII.

## SUBJECTUM BAPTISMI.

1<sup>o</sup> JOACHIMUS, Religione judæus, iter agens per catholicam regionem, in gravem morbum incidit, et mox omni sensu destitutus, jam morti proximus est. De re admonitus DAMASUS, loci Parochus, festinanter ad moribundum advolans in eo quærit signum aliquod rationis, et doloris de peccatis, sed incassum. Hæret anceps, nesciens quid sit agendum; denique judæum, sub conditione, baptizare statuit.

SYLVINUS, apud infideles Missionarius, incidit in moribundum adultum, sed amentem; nec rescire potest utrum, decurrente vita, intervalla lucida rationis habuerit. Quid ei consilii capessendum? Recordatur de

axiomate: *Sacramenta propter homines*, et eum aqua baptismali regenerat.

3<sup>o</sup> TIBURTIUS, infidelis, de vera Fide edoctus, Baptismum a Missionario postulat. Sed pravo habitu inquinatus, in ipsa Sacramenti susceptione, affectum secretum ad peccatum servat.

HINC:

QUER. 1<sup>o</sup> *Quænam sit dispositio in subjecto adulto, ad Baptismum licite et valide suscipiendum?*

2<sup>o</sup> *An DAMASUS, Parochus, recte egerit baptizando judæum sensibus destitutum et moribundum, in primo casu?*

3<sup>o</sup> *An pariter recte egerit SYLVINUS, Missionarius, infidelem amentem et moribundum baptizando, in secundo casu?*

4<sup>o</sup> *An TIBURTIUS effectus Baptismi susceperit in tertio casu, et an peccatum originale in eo deletum fuerit?*

SOLUTIO:

205. — *Resp. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* In subjecto adulto requiritur, ad Baptismi validitatem, voluntas, saltem *habitualis et implicita*, illud recipiendi Sacramentum. Ad licitam autem susceptionem, requiritur dolor de peccatis, seu attritio cum actibus saltem implicitis Fidei. *V. Comp. n. 228.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Recte egit Parochus, si audiverit judæum ante morbum, vel in ipso morbo ostendisse voluntatem Religionem christianam amplectendi. Secus *controvertitur. Negat Moulet, t. 2, p. 389*, talem judæum posse baptizari, quia in eo casu nulla supponi potest intentio Baptismum suscipiendi; sed sententia opposita absque temeritate teneri potest; imo est omnino suadenda. Cur enim nulla supponi potest voluntas Baptismum suscipiendi? Numquid, ex eo quod nullam intentionem manifestaverit, concludi potest eum nullam habuisse? Nequaquam. Nam inter centum vel mille infideles, in simili casu versantes, potest esse unus qui christiane mori velit. Porro satis est, ut singulis Baptismus sub conditione conferatur. Excipe, si, paulo ante mortem, in Religionem catholicam invecus fuerit; quia tunc minime censendus est in ea velle cooperari, cum ab ea paulo ante adeo abhorreret.

206. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Affirm.* modo baptizaverit sub conditione, quia dubitat SYLVINUS utrum infidelis ille intervalla lucida rationis habuerit, necne; etenim, si habuit, potuit Baptismum desiderare, et proinde valide baptizari potest: ergo sub conditione baptizandus est, quia succurrendum est proximo versanti in extrema necessitate spirituali, quo meliori modo fieri potest, etiam cum tenui probabilitate efficaciam Sacramenti.

*Resp. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* TIBURTIUS valide baptizatus est, non obstante affectu ad peccatum mortale, ut patet: porro si valide baptizatus fuerit, characterem sacramentalem recepit, quia Baptismus validus characterem, seu signaculum spirituale et indelebile in animo baptizati imprimat; sed is non recipit hic et nunc effectus Sacramenti, qui a gratia divina pendet. Proinde, neque peccatum originale, neque peccata ejus actualia deleta sunt; siquidem peccatum deleri nequit, nisi per infusionem gratiæ

sanctificantis. Sed TIBURTIVS vi Baptismi jus habet in ejus effectus, qui tantum remanent suspensi, donec obex, seu peccatum, saltem per attritionem removeatur. *V. Comp. n. 194.*

## CASUS VIII.

## BAPTISMI ITERATIO.

1° ANGELICA, matrona prudens et pia, cum, caritatis gratia, puerperæ opem præberet, ejusque prolem de vita periclitantem cerneret, properavit eam christiano more baptizare; postea ministerii sui rationem Parocho reddidit. Is vero, licet nullum errorem deprehenderit, attamen sub conditione rebaptizare eam prolem voluit.

2° SABELLINUS, hæreticus, veniens ad Parochum, petit instrui et admitti ad Ecclesiam catholicam. Parochus vero eum instructum interrogat de suscepto Baptismo, nec potest certum defectum invenire; hinc hæretice utrum illum sub conditione rebaptizare debeat, quod tamen non absque magna anxietate præstat.

3° CLARA, obstetrix, infantem domi baptizavit, forma ex errore substantialiter mutata; errorem quidem paulo post deprehendit, sed illum aperire erubuit. Annis 15 inde elapsis, id tandem sub confessionis sigillo Parocho aperit, ut ipse salutem adolescentis prospiceret, caute tamen, ne ipsa famæ jacturam faceret. Sed inde Sacerdoti ambages maximæ, ex quibus se extricare nequit.

HINC :

QUÆR. 1° *An recte egerit Parochus in primo casu, prolem ab ANGELICA baptizatam conditionate rebaptizando?*

2° *An SABELLINUS, hæreticus, rebaptizari potuerit vel debuerit in secundo casu, et quid in genere de hæreticis ad Fidem conversis?*

3° *Quid Parocho agendum in tertio casu?*

4° *An baptizandi sint infantes expositi?*

SOLUTIO :

207. — *Resp. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Affirm. per se.* Ratio est, quia, etsi ANGELICA sit mulier prudens et pia, in illis circumstantiis facile errare potuit ex animi trepidatione, præsertim cum consuetudinem baptizandi non habuerit. *Ita Gobat, n. 714. Dixi per se, quia quandoque, muliere sedulo interrogata, constare potest de Baptismi valore. Recole dicta cas. 3, ad 3<sup>m</sup>.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* SABELLINUS rebaptizari potuit et debuit, ut fert mos generalis Ecclesiæ, quia notum est hæreticos errare sæpius in Baptismo conferendo: ergo prudenter hæretici ad veram Fidem conversi communitè rebaptizari solent (1).

(1) Id intelligendum est ita ut: 1° nunquam omittatur examen prævium de validitate Baptismi in hæresi suscepti; 2° tunc solum sub conditione hæretici conversi secreto baptizentur, quando, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate de-

*R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Quid faciet Parochus? Non videtur dari in casu tanta difficultas. Etenim facile accersere potest puerum ad se sub aliquo prætextu, et fingere benedictionem aqua lustrali cum digito bene madefacto, ac submissa voce prolatis prioribus verbis: *Ego te baptizo*, superaddere, elata voce, ut industriam celet, *in nomine Patris.....*, ut dictum fuit supra ad casum 2<sup>m</sup>.

208. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Affirm.* Conditionaliter, etsi expositi fuerint cum schedula eos baptizatos esse attestante, juxta veriorem sententiam, ait *S. Lig. n. 135*; quia forte non sunt baptizati, vel invalide abluti, siquidem sæpius baptizantur a matre, quæ nunquam vidit baptizare, nec didicit. *Reuter, n. 115.*

## CASUS IX.

## INFANS QUATER BAPTIZATUS.

HONORINA, obstetrix, ad puerperam vocata, eam reperit in partu dolorosissimo luctantem. Timens rationabiliter ne fœtus cum matre simul pereat, eum, per instrumentum, in ipso sinu genitricis baptizat; postea vero cum infans brachium protenderet, et simul periculum cresceret, in isto membro Baptismum iteravit. Sed nondum finis; cum enim de valore utriusque præcedentis Baptismi ipsa dubitasset, eundem puerum paulo post in lucem editum, et agonizantem tertia vice abluit. Adveniens autem Parochus, re cognita et perpensa, anxius remansit de Baptismi valore, et pro quarta vice Sacramentum, conditionaliter tamen, huic proli contulit.

HINC :

QUÆR. 1° *An validus sit Baptismus infantis in sinu matris, vel non integre nati?*

2° *An valeat Baptismus in brachio, vel pede collatus?*

3° *An recte egerit HONORINA, Baptismum ter conferendo?*

4° *An recte egerit Parochus, pro quarta vice infantem baptizando, et an irregularitatem incurrerit?*

SOLUTIO :

209. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Probabiliter,* proles valide baptizari potest in utero matris, et a fortiori, si jam ex parte nata sit. Ratio est, quia infans, cum existat jam homo viator, valide potest baptizari. Nec obstat quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia hæc est veluti pars infantis ipsius. Sed, cum de valore hujus Baptismi non constet certo, sub conditione, si ferat postea tempus, puer natus rebaptizandus est. *V. Comp. n. 239. — S. Lig. n. 107.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Controvertitur.* Probabilius valet. Igitur, si non possit aliter baptizari de vita periclitans proles, sub conditione baptizanda est, et postea sub conditione etiam rebaptizanda, si in alia parte princi-

tegitur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate superest. Ita enim decrevit *S. R. et U. Inquisitio, Fer. IV, 20 Nov. 1878. — V. Comp. edit. Mame 1881, t. II, n. 249, q. 5<sup>o</sup>.*

pali, præsertim in capite, ablui possit. *S. Lig. n. 107, Quær. 3<sup>o</sup> in fine.*

210. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> HONORINA recte egit baptizando prima vice infantem, nondum natum, in utero matris; sed conditionem adjicere debuisset, nempe: *Si possis baptizari, te baptizo, etc.* — 2<sup>o</sup> HONORINA pariter recte egit rebaptizando prolem in brachio, licet non sit certus Baptismus sic collatus, et Baptismus præcedens sit probabiliter validus. Ratio est, quia probabilior est validitas Baptismi in brachio, quam in secundina; siquidem brachium est pars certa corporis, dum secundina est pars tantum probabilis. Igitur, cum media tutiora adhibenda sint, Baptismus erat in brachio renovandus, si renovari non poterat in parte certiori ad validitatem. Sed sub conditione, non vero absolute, Baptismus ille fuit iterandus. 3<sup>o</sup> Potuit et debuit HONORINA prolem natam sub conditione iterum rebaptizare, cum uterque Baptismus præcedens dubius fuerit.

211. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæs.* Distinguendum est, ex dictis supra ad tertium casum: recte egit Parochus generatim infantem jam ter baptizatum rebaptizando, quia timor fundatus de Baptismi invaliditate, in talibus circumstantiis, facile superest; nec proinde incurrit irregularitatem. Excipe tamen casum in quo moraliter illi constaret de prudentia et peritia obstetricis, et resciret eam rite processisse, quod non videtur evenisse in hypothesis nostra, cum adeo anxius fuerit Parochus de Baptismi valore. *Elbel, n. 39.*

## CASUS X.

### BAPTISMUS FILIORUM INFIDELIUM 1<sup>o</sup>.

FAUSTUS, Parochus, infantem a parentibus protestantibus ortum, et ab iisdem baptizandum oblatum, solemniter aqua lustrali abluit, ea tamen conditione ut patrinus catholicus sit, quamvis exploratum habeat parentes filium in hæresi esse instituturos.

Alias, cum venissent ad parœciam duo conjuges judæi, aliquandiu negotiorum causa ibidem commoraturi, et geminam prolem custodiæ ancillæ hospitii in quo sese receperant commisissent, scilicet, filium septennem et filiam triennem; quadam die audit Parochus ab eadem ancilla, puellam judæam gravi morbo correptam vita periclitari, et ejus fratrem, quem de Religione catholica instruxerat, pluries Baptismum enixe postulasse. Quid tunc consilii capessendum? Pastor bonus in præfatum hospitium, absentibus judæis conjugibus, se confert, et secreto utramque judaicam prolem aquis sacris abluit. Puellula autem post aliquod spatium temporis e morbo convaluit, et parentes, peractis negotiis suis, in aliam regionem transierunt. Inde Parochus de exitu baptizatorum anxietate magna torquetur.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An hæreticorum filii a catholico baptizari possint, sive volentibus, sive insciis parentibus?*

QUÆR. 2<sup>o</sup> *An possint baptizari filii infidelium, insciis, aut invitis parentibus? et quid, si mater consentiat dissentiente patre? aut consentiente avo, et invitis genitoribus?*

3<sup>o</sup> *Quid si usus rationis in puero certus sit, et quid si dubius?*

4<sup>o</sup> *Quid de agendi ratione FAUSTI, Parochi?*

SOLUTIO :

212. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Baptizari possunt filii hæreticorum, volentibus parentibus, quia secus parentes, qui Baptismum in sua secta admittunt, curabunt ut filii a ministro hæretico baptizentur. Non licet vero filios hæreticorum baptizare insciis parentibus, excepto necessitatis casu, quando parentes validum Baptismum filiis in sua secta sunt procuraturi, ne sic Baptismus iteretur.

213. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Non licet baptizare filios infidelium invitis parentibus, excepto casu necessitatis, vel nisi ipsi filii ratione utentes Baptismum petant. Ratio ex perversionis periculo deducitur. Constat ex variis Decretis S. Sedis. *V. S. Lig. n. 132. — Comp. n. 248.*

Si unus parentum consentiat Baptismo filii, altero invito, standum pro consentiente in favorem Baptismi et salutis prolis, modo infans sit educandus in vera Religione. Idem esset si, patre mortuo, avus consentiret in Baptismum pueri, matre reluctante. *S. Lig. n. 131, ubi allegat auctoritatem Bened. XIV et Greg. XIII.*

214. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Si usus rationis in puero infideli certus sit, et ipse sufficienter instructus videatur, Baptismumque petat, nec adsit perversionis periculum, baptizari potest, etiam invitis parentibus. Si vero rationis usus sit dubius, et puer sit jam septennis, dicunt communiter præsumendum esse pro usu rationis, quia judicandum est ex communiter contingentibus; si vero nondum septennium attigerit, *controvertitur...* Sed juxta *S. Lig. n. 128, post Lugo et Bened. XIV, melius expectandum est donec de perfecto usu rationis constet.*

215. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> FAUSTUS recte egit, infantem a parentibus hæreticis oblatum baptizando; nisi enim ab ipso fuisset regeneratus, ad ministrum protestantem delatus esset, nec commodum illud obtinisset, scilicet, ut doctrina catholica imbueretur.

2<sup>o</sup> Potuit et debuit FAUSTUS puellulam judæam de vita periclitantem baptizare. Si postea illa convaluerit, non ideo de imprudentia culpandus est bonus Pastor, qui in vero periculo misellæ animæ opitulatus est. Neque est ratio cur arguatur de casu pueri septennis, perfecta ratione gaudentis, debite de sancta Religione instructi et Sacramentum regenerationis exposcentis. Si enim, a parentibus abductus, periculo perversionis exponatur, spes tamen fundata habetur quod, auxiliante gratia Baptismi, tanti beneficii sit recordaturus, et salutem æternam consecuturus.

## CASUS XI.

## BAPTISMUS FILIORUM INFIDELIUM 2°.

FAUSTINUS, Sacerdos, apud Indos Missionarius, magno zelo ad pueris infidelium salutem procurandam incensus, præterquam quod satagit ut aqua sacra abluat parvulos morti proximos, sed etiam id præstat erga quamplurimos bene valentes, ab ipsis parentibus sponte oblatos ut ab ipso baptizentur. Existimat enim se non male agere, quia hos infantes non baptizat invitis parentibus, imo ipsis Baptismum pro filiis requirentibus, licet ipsi baptizari nolint. Subinde tamen aliqua anxietate corripitur, quia prædicti pueri, a paganis parentibus educandi, vitam Baptismo oppositam ducturi sunt.

HINC :

QUÆR. An FAUSTINUS bene egerit parvulos infidelium bene valentes baptizando, non invitis parentibus, prout in casu?

SOLUTIO :

216. — R. ad Quæ. Neg. Constat enim ex Declaratione Cong. S. Officii an. 1777, quæ sic jacet : *Non licere, extra periculum moraliter certum imminentis mortis, infantes a parentibus infidelibus ultro oblatos baptizare, si post Baptismum, in parentum infidelium potestate relinquendi sunt.*

Hæc eadem Declaratio renovata ac confirmata est die 19 Julii an. 1840, ab eadem S. Congregatione. *Analecta Juris Pontificii, IV<sup>o</sup> livraison, p. 1806.*

## CASUS XII.

## OPERATIO CÆSAREA.

HORTENSIA, difficili partui propinqua, gravissime periclitabatur. Jam eo devenerat, ut medici de salute tum matris, tum prolis desperarent. Interea occurrit quidam chirurgus peritissimus, qui promittit se latus puerperæ secturum esse, prolemque sine periculo extracturum. HORTENSIA, suadente et impellente Confessario, in sectionem lateris, licet ægre, consentit. Sed, peracta operatione cæsarea, extracta et batizata prole, obiit mater, et infans etiam paulo post vitæ valedixit.

HINC :

QUÆR. 1° An, vel quandonam fieri possit operatio cæsarea in matre vivente?

2° An, vel quandonam fieri debeat in matre mortua?

3° An HORTENSIA fuerit sub gravi obligata ad sectionem admittendam? et an Confessarius hujusmodi obligationem declarare debuerit?

4° An, contra, male egerit Confessarius mulierem ad sectionem admittendam adhortando? et an irregularitatem incurrerit?

SOLUTIO :

217. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Vivente matre, minime fieri potest operatio cæsarea, quoties adest pro matre periculum proximum mortis ex illa operatione secuturæ, etiamsi tum proles, tum mater certo secus perituræ sint, quia talis operatio esset directa matris occisio. *S. Lig. n. 106, post S. Thomam.* Nec dicas quod vita spiritualis infantis præferri debet vitæ temporali matris; nam hoc intelligendum est, ut quisque debeat quidem mortem sustinere, non autem ut debeat nec ut possit mortem sibi inferre, vel alterum occidere pro salute spiritali proximi. *Ita S. Lig. ibid.* Fieri autem potest operatio cæsarea, si secus mater moritura sit antequam pariat, cum periculo mortis prolis, et insuper chirurgus peritus asserat abesse omne periculum, quia v. g. mater est robusta, etc. *Elbel, n. 60.* Hoc valet præsertim nostris temporibus, cum ars chirurgica multo perfectior evaserit. *V. Embriologia sacra, l. 3, c. 9.*

218. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Mortua matre : 1° fieri potest operatio cæsarea, ut patet; sed, ad vitanda incommoda quæ subsequi possent, monendus est loci Magistratus civilis, et testes ab ipso approbati adhibendi sunt ad mortem matris recognoscendam; 2° imo sub gravi operatio fieri debet, positis ponendis, quia ex lege caritatis omni cura et labore æterna salus infantis procuranda est. *S. Thom. — Rit. Rom. — V. Embriol. sac. l. 3, c. 7.*

219. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. HORTENSIA, speculative loquendo, obligata fuit ad sectionem læteris permittendam, testante chirurgo perito eam nullum incurrere periculum mortis, quia tenetur quodlibet incommodum temporale pati ad vitam spiritualem infantis procurandam. Sed in praxi cavendum est ne ipsi gravis obligatio declaretur, quia facile potest apprehendere magnum periculum, etiam ubi nullum esset, et nihilominus peccare mortaliter, conscientia graviter eam remordente, propter denegatum consensum. *Elbel, n. 259.*

220. — R. ad 4<sup>m</sup> Quæ. Confessarius non male egit mulierem adhortando tantum ad id ad quod in se absolute tenebatur, et proinde nullam incurrit irregularitatem; quod si eventus non successerit, id per accidens tantum evenisse censendum est. Præhabita periti chirurgi declaratione, de nulla imprudentia Confessarius arguendus est. *V. Comp. Append. de oper. cæsarea, a n. 256 ad n. 259.*

## CASUS XIII.

## BAPTISMUS PRIVATUS 1°.

RICARDUS, neo-Parochus, ab HONORIO, nobili ac præpotenti viro, accersitur ut ejus proli recens natæ domi privato modo Baptismum conferat, solemnitate ad aliud tempus, congregatis cognatis et amicis, remittendo. RICARDUS inquit de infantis valetudine, et audit eum nulla infirmitate laborare. Inde hæret anceps, nesciens utrum, posito tali casu, eum in ædibus privatis baptizare possit. Tandem puerulum aqua Baptismatis abluit, omissis cæremoniis, quas postea in Ecclesia suppleturus est.

HINC :

- QUÆR. 1° *In quonam loco Baptismus solemnus conferri debeat?*  
 2° *An liceat aliquando Baptismum extra Ecclesiam conferre, et cæremonias ad aliud tempus remittere?*  
 3° *Quid de Parocho dicendum?*

SOLUTIO :

221. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Ex jure canonico Baptismus solemnus in Ecclesia sola parochiali conferri potest. Soli Regum vel Principum filii ab illa lege excipiuntur. *Ex Clementina Encyclica de Baptismo.* — Non licet igitur alios quoslibet in aliis Ecclesiis, seu Sacellis, aut Oratoriis, sive privatis, sive publicis baptizare, nisi de sola Episcopi licentia; et hoc, non obstante qualibet consuetudine, ut constat ex Declaratione S. Congr. Conc. 7. Febr. 1734.

222. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1° Baptismus nunquam conferri potest extra Ecclesiam, et quidem parochialem, excepto casu necessitatis, privilegii, aut facultatis specialis ab Ordinario obtentæ. Sequitur ex modo dictis.

2° Quod ad cæremonias attinet, distinguendum est. Si Sacerdos in necessitate extra Ecclesiam baptizet, omittere debet cæremonias quæ Baptismum præcedunt, et eas remittere ad tempus quo infans convaluerit et ad Ecclesiam deferri poterit. Sed cæremonias quæ Baptismum subsequuntur peragere debet. Constat ex Declaratione S. Cong. Rit. apud de Herdt, *Sacræ Liturgiæ praxis*, t. 3, de Baptismo.

Sic enim auctor ille : « Si Sacerdos in necessitate extra Ecclesiam baptizet, omittere debet omnes cæremonias quæ Baptismum præcedunt, « etiamsi infans tamdiu victurus videatur; collato autem Baptismo ut « supra, debet infantem in vertice ungere Chrismate, si habeat, imponere « vestem albam, et candelam accensam præbere. Cum autem convaluerit « infans, præsentandus est in Ecclesia, ibique, et nunquam extra Eccle- « siam, supplendæ sunt cæremoniæ omissæ quæ Baptismum præcedunt. « *Decr. S. Cong. Rit.* 23 Sept. 1820. »

223. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Parochus de peccato gravi damnandus est, quia contra legem Ecclesiæ gravem egit. Filii enim nobilium in Jure canonico minime ut privilegiati habentur. Parochus igitur non debuisset HONORIO, licet viro nobili ac præcipuo, morem gerere, nisi ab Episcopo facultatem obtinisset.

#### CASUS XIV.

##### BAPTISMUS PRIVATUS 2°.

SALUSTUS, vir nobilis, nova prole beatus, in patrinum requirit RICARDUM, virum conspicuum, sed absentem, nec ante mensem reversurum. Statuit primum ille, Baptismum prolis ad RICARDI adventum remittere; sed subinde timens ne proles interea periclitetur, petit a Parocho suo ut velit nunc infantem domi baptizare, cæremonias postea suppleturus in Ecclesia, cum invitatus patrinus advenerit. Illi morem gerit Parochus.

HINC :

- QUÆR. 1° *An graviter peccent parentes qui Baptismum ad mensem differunt, in gratiam patrini adventuri, vel familiæ congregandæ, solemnitate præparandæ?*  
 2° *An graviter peccaverit Parochus?*

SOLUTIO :

224. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Graviter sane peccant parentes qui per multum tempus Baptismum filiorum differunt. *Ita omnes.* Sed quænam dilatio ut gravis habenda sit? valde controvertitur. *Probabilius et communius* non habenda est gravis dilatio ea quæ 10 vel 11 dies non excedit. Secus vero, si excedat. *S. Lig. n. 118. — Hom. apost. n. 18. — Salmanticenses* censent non esse mortale differre ad 15 vel etiam 20 dies, etiam sine causa urgenti. Imo alii cum *Suarez* dicunt non esse gravem dilationem, si ad mensem non pertingat, licet non adsit causa; stante autem causa, si ad duos menses non extendatur. *V. S. Lig. ibidem.*

225. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Graviter peccavit Parochus, saltem *per se loquendo.* Ratio deducitur ex dictis in casu præcedenti. Etenim soli filii Regum vel Principum, domi, præter casum necessitatis, baptizari possunt. Nec licet cæremonias ab ipso baptismo separare, præter casum necessitatis, vel licentiæ specialis, ut supra dictum est. *S. Lig., n. 142 et seq. — Voit, n. 203.*

#### CASUS XV.

##### BAPTISMUS SOLEMNIS 1°.

1° TROPHIMUS, Parochus, advocatus ad infantem de vita periclitantem baptizandum, ibi infantem cum ritu Ecclesiæ solemniter baptizavit, omniaque peregit præcedentia unctionem scapularum; sed tunc, re perpensa judicavit puerulum sine magno periculo in templum deferri posse. Mandat igitur, ut statim deferatur; subsequitur ipse, et in Ecclesia reliqua perfecit.

2° MEDARDUS, Parochus, dum casu celebrat in Sacello privato, consecrato tamen, ecce ipsi affertur infans baptizandus, idque rigente hieme, ita ut non possit deferri ad Ecclesiam, ab ædibus infantis longe dissitam, et quo per nives adeundum esset. Parochus eum ibi baptizavit, et cum Chrisma sub manum non haberet, alio tempore illam unctionem supplevit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An bene egerit TROPHIMUS in primo casu?*  
 2° *An recte MEDARDUS in secundo casu?*  
 3° *An repetendæ sint cæremoniæ quando Baptismus, invalide collatus, est iterandus?*

SOLUTIO :

226. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Erravit TROPHIMUS baptizando infantem domi cum solemnibus Ecclesiæ cæremoniis quæ Baptismum præcedunt, ut constat ex dictis supra in casu 13, in responsione ad 2<sup>m</sup> Quæs. n. 222. De-